



Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiæ,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De Caroli Calvi Regis Francorum & Lotharingiae atque Imperatoris sacra
contra Nordmannos militia, quodque contra eosdem instituerit duos
Comitatus, Hollandiae & Flandriae. Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

Adalgisus, à Senatu Romano reus maiestatis & hostis publicus iudicatus, bello contra se decreto in Corsicam fugit.

De CAROLI CALVI Regis Francorum & Lotharingiae atque Imperatoris sacra contra Nordmannos militia, quodque contra eosdem instituerit duos Comitatus, Hollandie & Flandriae.

C A P. X X.

DUOBVS fratribus Lothario & Ludo-
uico successit patruus eorum Carolus
Caluus Rex Franciæ, illi in regno Lotharin-
giæ, huic verò in Imperio. Dum tamen Ca-
rolus solus Lotharingiam usurpare nititur,
per moderationem & industriam Ludouici
fratris sui eò deductus est, ut æqualiter inter se
regnum fratuelis diuiderent.

XXXI. Bra-
bantie Dux
Carolus Cal-
lus Impera-
tor.

Sigebertus
anno 871.

Hic in Francia regnauit annis XXXIV. ut
notat Sigebertus. Cum Nordmannis Aqui-
taniam vastantibus bellum habuit annis de-
cem, sed non valde prospere. Vexarunt iidem
Nordmanni Flandriam, & alia multa loca:
cumq. bella ei contra eorum barbariem pa-
rum bene succederent, aliunde auxilia opor-
tunè quæsiuit.

Illud itaque memorabile est, quod à Ioan-
ne Becano, clero & historico Traiectensi,
ante multa saecula litteris proditum est, Ca-
rolum Caluum Hollandiam omnino desola-
tam tradidisse nobili viro Theodorico, ad in-

C 2 stan-

stantiam Hachononis Comitis, ut is cum sua posteritate eandem ditionem feudali iure primus Comes possideret, & atroces Danos à finibus Regis Romanorum summa virtute depelleret. Qui Princeps secundo nonas Octobres circa tépora anni 1000. in Christo requieuit, postquam limites suos contra Danos imperterrité fortiterque tutatus esset.

Eiusdem Imperatoris ætate Flandria, quæ paucis tunc viris atque ædificiis ornata erat, & à feris magis quam hominibus incolebatur, cuique à Rege custos præfiebatur, qui Francorum lingua Forestarius dicebatur, Comitatus dignitatem hac occasione accepit. Erat Balduinus Forestarius, qui Judith Regis filiam, dum ex Anglia reuertitur, sibi rapere iuuenili quadam temeritate ausus est. Cuius rei gratia Caroli rogatu coëuntes Episcopi, Balduinum excommunicant. At cum facti eum non pœniteret, de confilio procerum Carolus filiam Balduino in matrimonium copulari permittit, & ex custode Flandriæ Comitem constituit. Plerumque siquidem id euenit, ait Gaguinus, ut quæ peccata atque iniurias facile vlcisci non possumus, eas aliquius dignitatis ratione assumta ad gloriam perducamus.

Denique Carolus Caluus cōtra Nordmannos conduxit operam Widechindi Saxonis, cuius origo existimatur pertinere ad illum Widechindum, quo cum Carolus Magnus bellum

bellum gessit. Eum itaque in Gallia Lugdu-
nensi Andibus siue Andegauensibus prefecit.
Hoc Widechindo procreati censemur Reges
Francici, qui annos amplius quingentos ad
nostra vsque tempora regnum Gallicum ob-
tinuerunt. Sed nec bellum Andegauense
feliciter ei cessit. Nordmanni, inquit Sige-
bertus, vrbem Andegauis quasi ^{Ad annum} ^{875.} in ea habita-
turi cum suis omnibus occupant. Ad quam
oppugnandā Carolus adscito Salomone Bri-
tonum Rege profectus, multis eam diebus
obsedit. Sed cūm Nordmanni iam ad despe-
rationē adducti essent; Rex inuitò exercitū,
pecunia ab eis accepta, egressum eis annuit,
eisque. hoc pacto peiora faciendi locum dedit.

LUDOVICVM BALBVM Imp. secundo re-
gni & imperij sui anno obiisse, cūm contra
Sarracenos sacram militiam meditaretur.

C A P. X X I.

PATRI Carolo successit filius Ludouicus, ^{xiiii. Brabantie Dux}
vir simplex ac mitis, iustitiae ac religionis
amatore, cognomēto Balbus, ait Regino, quod
impeditioris & tardioris effet eloquij.

Ludouicus
Balbus Im-
perator.

Carolo itaque mortuo exemplo Cárolo-
mannus Italiæ regnum iniuit. At Ioannes
Pontifex, iniuriis quorundam grauatus, in
Galliam venit: vbi colloquio constituto, Bal-
bus duris sc̄ eius atque Ecclesiæ, quę com-mé-
morabat, temporibus non defuturum osten-

C 3 dit;